



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Panegyricvs, Die Natali Academiae Theodorianae
Paderbornensis, Reuerendissimo, atq[ue] Illustrissimo
Principi, ac Domino, Theodoro, Episcopo Ecclesiae
Paderbornensis, S. R. I. Principi, Fvndatori Eivs ...**

Horrion, Johann

Paderbornæ, 1616

Capvt VII. Nihil Paderbornae eorum deesse, quae ad Academiae
splendorem & commoditatem requiruntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14243

Tutelaribus Hafungensis versibus descripsit, appellatur sedes Regalis. Quid ni enim Regalis, quæ tot Regum studiis est cohonestata? Referam versus expertes illos quidem artis, sed tamen qui veteris memoriæ de Paderborna sententiam, sine fisco, nobis exponunt. Sic enim ille ingressus sermonem de B. Heimeradi cum Meinverco Antistite congressu:

Est locus egregius Patherbrunnon vocitatus: boup, sicut
Is quoque regalis sedes & Pontificalis.

Quod si quis ergo præterea percunctabitur, quid ita, tot aliis postpositis urbibus, Paderborna publico in VVestphalia gymnasio decoretur? is cognoscat VVestphalis, qui præ cæteris populis sint appetentes humanitatis, & sapientiæ, eius possessionem rem prorsus regiam videri, atque ideò propriam ei sedem ac domicilium, non alibi decuisse, quàm in Regia VVestphaliæ Vrbe collocari.

C A P V T VII.

Nihil Paderbornæ eorum deesse, quæ ad Academię splendorem & commoditatem requiruntur.

ET sanè si faciem, & ingenium loci intuebimur, fatendum nobis erit, nihil vel à prisca illis Cæsariibus ornatus ad habitationis suæ dignitatem, vel abs te, Princeps Illustrissime, felicius ad commoditatem Studiose iuuentutis reperiri potuisse. Ac primi quidem illi viri sapientes, qui Carolo Magno Cæsare è Britannia delati in Galliam, Parisiensis Academia quasi parentes fuerunt, cum venalem se Sapientiam

[Sangall.
l. r. cap. I.
de gestis
Caroli
M.]

afferre professi, interrogati essent, quibus rebus ad rem tan-
 tam opus esset, responderunt: opportunis locis, animis in-
 geniosis, victu, atq; amictu. Atq; ingenia quidem, quorum
 vniuersa VVestphalia in primis est ferax, Paderborne deesse
 non possunt, praesertim cum eo loco sit sita, vt ad eam ex o-
 mni VVestphalie regione faciles sint accessus. De copia vero
 rerum quibus vita sustinetur, quae potest cum ea VVest-
 phaliae pars contendere? Cum enim VVestphalia omnis
 qua quidem ad Rhenum, & Oceanum vergit in latissimos
 expansa campos, ob crebras paludes pastioni sit aptior qua
 segeti: qua vero Visurgim, & Chattorum iuga respicit, pin-
 guiore sit gleba, praeterquam vbi saltibus & siluis horrescit;
 quis non videt opes vtriusq; terrae eo loci confluere, vbi si-
 ta est Paderborna? Hic enim & planities paullatim quasi e-
 mersa ex vligine ad decliua montium assurgit; & montes
 in amoenos colles, lenesq; cliuos desinentes, ad camporum
 se valliumq; facilitatem inclinant; & vastitas illa siluarum,
 in crebra nemora, & virentes dissecta lucos, agris, hortis, ar-
 boretis plurimum relinquit soli. Itaque nusquam alibi
 laetiora pascua, nusquam vberiora arua, nusquam villae cul-
 tiores. Quid enim foecundius eo omni agro, qui ad exo-
 rientem solē, & meridiem editior, lateq; diffusus, oppidis,
 vicisq; creberrimis colitur? Quid benignius illis ad occa-
 sum, & septentrionem jacentibus campis, quos e montib;
 quibus haec vrbs vtrimq;, in theatri prope speciem, cingi-
 tur, plurimi, & limpidissimi irrigant riui? In tanta terra bo-
 nitate, caeliq; clementia quae vnquam macello, quae grana-
 rio, quae penui sit egestas metuenda? Quando enim vel hos
 campos pascua, vel hos agros frumenta, vel hos cliuos ar-
 bores, hortique fefellerunt? Quid ego de Cereali nostro
 Baccho dicam? cui & frugem haec pinguiissima arua, & li-
 quorem nostri beatissimi fontes suppeditant. Quis illum,
 gustans

gustans Cæcubum, aut Falernum desiderat? Habet enim maiorem quàm vinum sitis leuandæ facultatem, neque fere quicquam de calefaciendi stomachi, & adiuuandarum virium virtute concedit. Quod si, vt est apud Strabonem, Gymnasio liberalium artium, quod erat Tharsi in Cilicia Cydnus amnis, cuius saluberrima aqua ferebatur, plurimum celebritatis attulit, nihilne habebit ad illustrandam Paderbornæ Academiam, hæc salubrium fontium copia, quibus ambigere possis, plusne palati, & valetudinis, an aspectus, & voluptatis gratia delecteris? Neque enim sentio quæ possit species esse iucundior, quam trium fontium in media Vrbe, ex eodem colle, modico interuallo exorientiũ, tantamque subito vim aquarum erumpentium, vt, non modicis effusi riuis, ante in vnum alueum visendo sanè agmine confluant, compluresque molas frumentarias prius versent, quàm se effundant è mœnibus. quanta amœnitas singulorum cum seorsim fluunt? quanta omnium cum vno amne labuntur? quàm iuuat aquam ipsam omni crystallo puriorem intueri, & innascentes viridissimas herbulas numerare? quale spectaculum anaticulas, & cygnos videre in medijs vndis pendulos, suspensa cauda, nitentibus contra profluentem pedibus, prono rostro piscantes? quæ voluptas ne sæuæ quidem brumæ inclementia vnquam eripitur. Qua enim tempestate niue omnia foeda sunt, & gelu, non modò intra urbem, sed etiam non modico foris spatio, ne secundum quidem ripas, vt fert mos cæterorum annium, vel in tenuissimas crustas conglaciat. Quid quod eodem tempore peregrinas aues ad se noster amnis allicit, quæ fluuijs assuetæ, vbi glacie cæteris prohibentur, ad hunc confugiunt? Æstate verò, potestne quicquam illis viridarijs, hortis, pomarijs, quibus vtraq; eius ripa prætextitur, esse formosius? Non enim nūc vacat aquam commemorare

mâlinis

tota

tota prope vrbe per canales singulari artificio dispensatam, non salientes fontes, non piscinas, non lauatrinas, non sexcenta commoda. Quod si collibitum erit egredi vrbe, quem non delectet cursum eius prosequi, modò pleno incedentis amne, modò diuisis quasi copijs insulas ambientis, modò vario flexu, & grato errore per virentia prata serpentis, modo limpidissimos riuos amplectentis sinu, modò celeberrimum Romanis annalibus flumen Luppiam, vel cum iactura sui nominis generantis? Ab amne verò cum discefferis, quocumque conieceris oculos, quanta, **D E V S** bone! se vbiq; ingerit in tam illustri naturæ varietate voluptatum seges? Aspice hunc collem, in quo Paderborna non jacet, sed cubat. potestne fieri quicquam his siluis, quas vertice ostentat alsius, vmbrosius, amœnius? num illo deinde modicè decliui, sed latissimè se pandēte, & quasi venditante agro venustius? Ima deniq; eius pars, quæ vrbem est complexa, quantis referta est sepium, pratorum, hortorum, nemorum delicijs, siue in vmbra requiescere, siue apricari, siue deambulare, siue honestis ludis indulgere libeat? Nam quæ aliquanto longius ab vrbe digresso finitimis locis auocare, & tenere animum possint, nimis longū esset enarrare. Neque enim oppidum aut vicum temere reppereris, cui non proprias quasdam opes, & amœnitates natura indulserit? Quod si Heliconem gemino fonte insignem Musis poetæ consecrandum putarunt, quòd illa venustate plurimum crederent leuari curis ingenia, & ad cōmentandum exacui, quis hanc omnem regionem quæ est sub vrbe neget studijs alendis natam? Vt enim ipsam vrbem taceam Castalijs fontibus redundantem: vt nihil commemorem de Saltcotena oppido aqua, vnde sal coquitur, nobili: vt præteream Luppesspringam, vbi primum est Luppia caput, habemus in propinquo Alpheum, cuius Ar-
thufam

thufam frustra rerum naturalium curiosi jam pridem persequuntur. Nempe non longe à noua-Beca oppido inuis est non modicus, qui terra haustus sese, nescio quò, oculis mortalium eripit. Mirabilius prope est, quòd duo riui ad Liechtenauum oppidum confluentes, repente absorbentur, verùm non vno semper meatu, sed prout aquæ impetus tulit. Itaque admodum quinque jam patent; neque dubitat interdum nouos aperire. Ad veterem verò Becam in silua fons est, quem Tumultuarium vocant. Is situs est in cliuo montis, è quo magna vis ferri, & æris eruitur. Non iugiter, sed interuallis fluit, sic vt cum vnam circiter horam cursum tenuerit, mox inhibeat, ac tres, aut amplius horas quiescat. Neq; tamen stata semper tempora obseruat, aut vices. est enim cum bis eodem die aquam profundat, est cum semel. interdum ante, interdum longè post meridiem. Ferunt, quoties se ad cursum refert, sibilum, per cacumina arborum exaudiri, velut exurgentis venti: & primus prodeuntis impetus, quodam cum murmure fit, ac strepitu quasi se ad caua montis allidentis, & foras erumpere gestientis aquæ. Quòd si non vererer otio meo abuti, & tua, Princeps Illustrissime, patientia, persequerer oratione vniuersam huius vrbs viciniam, atque demonstrarem, nullam esse oram, vnde non præcipua quædam siue commoda, seu oblectamenta ad Academiam pertinere possint. At, inquiet fortasse quispiam; hæc loci commoditas, atque iucunditas aëris insalubritate corrumpitur. Nego post exortum Academiæ nomen, vllam conditam esse puriore cœlo. Procul enim causas omnes habet pestilentium aurarum. Quippe in decliui posita, è longinquo septa jugis montium, quæ vehementiorem vim ventorum defendant, non nisi secundis assidue perflatur. Itaque cum his proximis superioribus annis tora, prope Germania, atque

K

inprimis

in primis VVestphalia nostra, multi mortales pestifera lue
consumerentur, eiusq; metu necesse esset, gymnasijs clau-
sis, studia litterarum intermitteri, Paderborna jam ab anno
XCVIII. supra M. D. inter crebros aliorum luctus, & fune-
ra, constantem suorum studiorum cursum tenuit. Sed jam
mihi videor nonnullorum murmur exaudire, quibus, que-
so Princeps Illustrissime, vt ignoscas. Si enim eorum ora-
tionem rectè assequor, non nisi ardenti quodam aduersus
Celsitud. V. studio permouentur. Quid ergo illi? De loco
fatentur; de ciuibus alia omnia. Refricare enim student
animum tuum eorum memoria bonorum, quæ per hosce
triginta annos, Paderbornensibus tuis ostendisti: enume-
rant cohortationes, monita, decreta, minas: percensent cur-
ras, labores, vigilias, sumptus, pericula, cum interea nihil
ab ijs, quod operæ pretium sit post tot conatus factum vi-
deatur. Itaque principio negant qui tot antea tua bene-
ficia sint aspernati, nunc hoc præstantissimum, & cum to-
tius VVestphaliæ gloria coniunctum mereri potuisse. De-
inde qui in Principem suum optimum, & suæ salutis aman-
tissimum tam fuerint inuenusti, & inurbani, valdè verentur,
ne semper eos illa morum commoditas deficiat, quam
tanta virorum, adolescentumque multitudo omni huma-
nitate perpolitata desiderat. Verùm isti primùm, pauco-
rum ciuium crimen, toti inferunt ciuitati. Deinde non
vident, quo argumento ipsi vtantur ad frangendum, vel
infirmandum, hoc eodem te ad suscipiendum vsum esse, &
jam porrò vt ad persequendum consilium tuum. Quid
enim? Sunt nonnulli minus bene morati. audio. nempe,
ne rectè quidem de DEO sentire, & loqui didicerunt. Est ve-
rò cum prauarum opinionum, tum malorum morum vna
& eadem mater Ignorantia, quæ si luce salutarium doctri-
narum aliquando discussa fuerit, vidisti, Princeps Sapien-
tissime,

tiffime, alios Paderbornam mores, alios ciues habiturā. Ni-
 hil enim ad profligandos errores, nihil ad ferociam doman-
 dam, nihil ad rectē componendum ciuitatis statum doctri-
 na praesentius. Louanium accepimus, cum ciuilib. armis, at-
 que discordijs complures annos arsisset, essetq; ciuitas mu-
 tuis caedibus prope percussa, atq; afflicta, Ioannē Brabantiae
 Ducem consilium coepisse extruendę Academię. Quid plu-
 ra? breui illa ciuib. pristinam lenitatem, & concordiam red-
 didit, quam rerum omnium vbertas, & publica felicitas est
 consecuta. Non aliam quoq; spē, te Duce, atq; auctore, Illu-
 strissime Princeps, ingredimur. Spem autem? quasi verò nō
 iam fructus aliquos, certē flosculos tuę prouidentię tene-
 remus. Tot enim adolescentes Paderbornę nati, qui in tuis
 scholis jam inde à prima pueritia liberalibus disciplinis, ad
 omnem honestatem informantur, qui neq; sensus celerita-
 te, neq; laboris patientia, neq; morum facilitate à quoquā
 exterorum vinci se sustinent, satis declarant, si quid supe-
 rioribus annis secus accidit, quàm volebas, id non naturę
 peruersitate, sed salutaris culturę inopia contigisse. Ea jam
 abs te relata, ac tam insigni accessione cumulata, non mo-
 dō omnem maculam ac labem, si qua paucorum culpa in-
 sedit Paderbornensi nomini, se deleturos profitentur, sed
 etiam daturus operam, vt vetus illud Paderbornę elogiū,
 quod ab illo pio viro, quem superius laudavi, Arnulfi Im-
 peratoris memoria, litteris mandatum est, quasi postlimi-
 nio recuperent. Id ita habet. **Hic locus** (Paderborna)
viris omni nobilitate generis, animiq; semper in-
signibus abundabat, vt non esset dubium, quin
patria ciuibus, & ciues patrię congruerent,
ac sibi vtraq; vicissim ornamento
forent.

[Lipfius
L. 1. c. 1. 3.
c. 1.]

[In Cos-
mod. 2-
tat. 6. ca
37.]